

ero, hujusmodi athletam innumeris victoriis clarum non obviis exciperet manibus? Quis intuens vinculum pro Christo non ei innumerias deferret gratias?

§. X. vers. 10. Obsecro Te pro Filio meo, quem genui in Vinculis per Evangelium, Onesimum.

Proposito est Epistolæ, rotundis concepta verbis. Non est ulla propemodum vox, quæ in se non habeat à Opus ñ animum Pauli constringendi. Obsecro inquit. Rogandi humilitas plerumque flectit, quem neque potentia superare potuit, nec ratio. Pro filio meo. Non dicit: pro servo tuo, ne præteritorum criminum memoria eundem exacerbaret. Quem genui in vinculis. Quique eo charior mihi est, sicuti matribus Filii, quos cum intensioribus doloribus sunt exixæ. Conversionem ab invidelitate ad fidem filiorum generationi comparari insolens non est. 1. Corinth. IV, 15. Galat. IV, 15. Figit hic Alphonsus Salmeron, quem & Benedictus Justinianus sequitur, Lutheranum quendam, cuius nomen neque exprimit neque exprimere potuit, ex hoc loco collegisse: Paulum uxoratum fuisse, quia dicitur genuisse, filium. Quo facto magnos edit cachinnos. Puduit plerosque Socios ejus hujus tam intestabilis mendacii, quare in suis Commentariis profundo silentio præterierunt.

§. XI. vers. 11. Pro illo quidem, qui quanquam olim Tibi fuerit inutilis, nunc tamen conversus ad religionem Christianam mutato in melius animo & tibi utilis futurus est, & mibi jam vinculis meis utilis fuit, eoque ipso propositi sui constantiam declaravit. Quem, tanquam tuum, tibi remisi, cum hac Epistola.

Confirmatio incipit propositionis. Notat Hugo Grotius, quod jam ante ipsum fecerat Thomas, in voce: *inutilis*, figuram esse, qua rerum asperitatem verbis lenimus. Onesimus enim non inutilis tantum quondam Philemoni erat, sed & dannum dederat. Nempe hoc ipso animum heri mitigabat. Debetum